



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

6. Ivssit Et His Vndis Lvstratam Svbdere Gentem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

An. 783. Cūmque de loco prælij ad Paderbornam secum exercitu recepisset, atque ibi castris positis partem exercitus opperitur, audivit Saxones in finibus Westfalorum supra fluvium Asam congregari. Astron. apud Reuberum. Vita Caroli M. per Egolismensem Monachum. Regino.

An. 785. Rex Carolus placitum habuit apud Padresbrunnon cum Francis & Saxonibus. Annales Francorum. tom. II. inter script. hist. Franc. Astron. apud Reuberum. Vita Caroli M. per incertum auctorem. tom. II. inter script. hist. Franc. Vita Caroli M. per Egolismensem. Vita Caroli M. apud Pithæum. Regino.

An. 786. Ludovicus filius pro sapere & posse obedienter parens, occurrit (Carolo patri) ad Patrisbrunnam, habitu Vasconum cum coævis sibi pueris indutus, amiculo scilicet rotundo, manicis camisia diffusis, cruralibus distentis, calcaribus caligulis insertis, missile manu ferens: hæc enim delectatio voluntasque ordinauerat paterna. Vita Ludovici Pij apud Pithæum.

An. 799. Interim Rex in Saxoniam profectus Rhenum ad Lipeham transiit, & in loco qui dicitur Padeburnum positis castris confedit. Vita Caroli M. per incertum auctorem. tom. II. script. hist. Franc.

6. IVSSIT ET HIS VNDIS LVSTRATAM SVBDERE GENTEM. An. 777. Dominus Rex Carolus publicam synodum habuit ad Paderbrunner, ibi convenerunt omnes Franci & omnes Saxones, excepto, quod Vidochindus rebellis exstigit, & cum paucis alijs socijs suis in Normandiam configit. Ad idem placitum venerunt Saraceni de Hispania tres reges, Ibnalarabi & filius Devizesi, qui Latinè Ioseph nominatur, & gener ejus Alaruz, ibique multitudo Saxonum baptizata est. Vita Caroli M. apud Pithæum. Annal. Francorum inter script.

script. hist. Franc. tom. II. Annal. Fuldens. apud Freher. *Ibi* Saxones baptizati ingenuitatem, & omnem proprietatem suam, secundum morem gentis, abdicantes regi tradiderunt, si à die illa, & deinceps Christianitatem, & regi ac filijs fidelitatem abnegassent.

7. HIC LEO ROMANA DEDVCTVS A B VRBE. An. 799. Leo papa à Romanis in Letania majore lingua truncata cruciatus, & per VVirundum Abbatem, & VVini-  
sum Ducem Spoletanum creptus, ad Carolum in Saxonia ad Pa-  
draprunno deductus est. Annal. Fuldens. apud Freher. Vita  
Caroli M. per Egolismens. tom. II. script. hist. Franc.  
Astronom. apud Reuberum. Poëta Anonym. Annales incerti  
auctoris apud Pithæum. Regino. Sigonius lib. 4. hist.  
de Regno Italiæ.

8. SACRAVIT PRIMVM RELIGIONIS OPVS. Hujus rei testis est antiquus scriptor vitæ S. Libo-  
rij apud Bollandum c. II. pag. 88. §. 5. Nam & vir sanctissimus  
& verè Apostolicus Papa sedis Romanae, Leo nomine, injusta ci-  
vium odio perpessus, illic eum (Carolum) adiit, pro sedandis contra  
se ortis simultatibus, imperiale opem quæsiturus. A quo cum  
ingenti, ut par erat, honore susceptus, religiosum ejus ac salutare  
Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum, Apostolica  
auctoritate firmavit, atque in Ecclesia tunc ibidem noviter con-  
structa quoddam altare consecrans adorandas in eo reliquias Pro-  
tomartyris Stephani, quas secum Roma detulerat, collocavit;  
fiducialiter id Principi promittens, quod oratorium illud, tanti  
Martyris patrocinio munitum, non ulterius passurum foret inju-  
riam, quam, ipso referente, prius ei contigisse cognovit; ut vide-  
licet ob incolarum loci persidiam, & odium in religionem Christia-  
nam, aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maxime causam eas-

N 2

dem

